

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt LVI. Magno Dei beneficio cacodæmones prohiberi, ne plura bella suscident, quæ ne homines quidem, debent tamen suscipere, et si licita sint, quæ justa sunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

Neque alia de causa gladium bellatorum mucronem Domini vocat S. Spiritus, quām quia Dominus præcepit, ut contra hostes suos stringeretur. Ita etiam illi milites clamauerunt, *Gladius Domini, & Gedeonis.* Vtriusque enim erat; quia bellum tunc Gedonis quidem manu, sed Domini auxilio atque autoritate gerebatur. In eundem sensum ait Abigail ad Dauid: *Faciens Dominus I. Reg. 25.* faciet tibi domino meo domum fidem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris. Habemus igitur & dæmonem belli incentorem, & hominem executorem, & Deum authorem; qui siue immittat siue permittrat bella quia iustus est, numquam debet accusari; sicut neque excusari dæmon, cuius voluntas semper est mala: homo autem instrui, quia vel iustè, vel iniustè potest arma usurpare. Quæ si paulo deductiū à me vultis audire, Exules, spero vos præsentes belli calamitates, non solum patienter, ut facitis, sed etiam cum consolatione laturos. Cùm itaque nutu alij, alij claris vocibus dicere me jussissent, in sequentem ingressus sum orationem.

VII.

*Iudic. 7. 20.*

C A P V T L VI.

*M agno Dei beneficio cacodæmones prohiberi, ne plura bella suscident, quæ ne homines quidem debent temerè suscipere, et si licita sunt, quæ iusta sunt.*

**D**abolo bellorum incentori velle concionari, est Æthiopem lauare. Præterquam enim quod ille magna est belli tuba, Martemque, quoties, & vbi cumque potest, cantu suo accendere conatur, ita tamen insuper in malitia induruit, ut nullis possit argumentis emolliri. Semper fœuit. Et, si penes ipsum foret, semper bella sereret. Sed ea est Dei bonitas, ut confilia illius plerumque dissipet, machinationesque eludat; neque sine iustissimi cauissim frenum illi subinde laxet. Quemadmodum enim olim Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religavit illud *Tob. 8. 3.* in deserto superiori Ægypti, ne noceret Tobiae; ita Deus sape malos dæmones coercet, ne bella aliaque mala suscident. Et vidi *An-* gelum, ait S. Ioannes, descendenter de calo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpen- tem antiquum, qui est diabolus, & satanas, & ligavit eum, per annes milles:

I.

*Apoc. 20. 3.*

M m m z

mille:

mille: & misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni. Ita ligat hostem Deus, ne mille excitet hostes. Hoc ni faceret, mundus iam dudum periret. Bella minus frequentia, minus nocent. Nemo putet, multa esse, quæ Deus permittit; cogitemus potius, quot & quantis obster. Non est comparatio eorum quæ sunt, eum ijs, quæ fieri possent. Multis annis terra quietuit, & cùm Mars fureret, etiam multis locis. Possent ubique, possent semper bella durare. Atquit obstat calamitatibus immensa Dei bonditas, quot possunt esse, quot non sunt. Cur inclemens accusamus beneficam illius naturam, cùm una se opponat tot phalangibus dæmoniorum, & una restringat fluxum totius diabolica malignitatis? Non mirandum est, permitti aliquando Acherontici hostibus, ut hostes nobis & bella excitent; mirandum est, quod non plus faciant. Sed hæc est diuinæ misericordiae magnitudo, quod sanguinem humanum, sine satietate stienti bestiæ rufa ne millesimam quidem partem permittat. Sunt enim omnes damnati Angeli, itemque omnes impij tyranni, velut efferati leones in perniciem nostram promptissimi, sed ita diuina potentia cohibentur, ut nihil, nisi eadem permittente, cuiquam nocere possint; nec plus, nec diutiū possint, quām ipsi justissimè videatur. Itaque neque excedit nostram culpam, nec satiat, sed refrenat, dæmonum iram furiamque. Gratia ergo Numini sunt agenda, quod nobiscum tam clementer agat, & nos contra tot pericula protegat, hostemq; omnium immanissimum coercat; ne semper inter arma conflictemur. Contra ipsum autem Stygium Fetialem, non paci, sed bello faciendo ex Orco egredientem, non verbis perdenda, quibus non flebitur, sed arma sumenda sunt, & semper pugnandum, ne eum umquam audiamus. Quid enim, præter insidias, expectari potest ab hoste iuratissimo consilia suggestore?

## II.

Aliter cum hominibus agere licet, quibus eis magna viuendi pro arbitratu licentia est concessa, multa tamen possimus bonis rationibus dissuadere, ne faciant, aut Stygio suggestori auscultent. Quem in finem etiam Poëta Horatius bellum civile detestans ita militantes compellat:

Qnō

Cap. LVI. Bella non temerè suscipienda, ex iusta esse possint. 845

Quò, quò, scelesti ruitis? aut cur dexteris  
Aptantur enses conditi?

Horat. in lib.  
Epod Ode. v.

Parumne campus atque Neptuno super

Fusum est Latini sanguinis?

Neque hic lupis mos, neque fuit leonibus

Vnquam nisi in dispar feris.

Eborone cacus, an rapit vis acrior?

An culpa? Responsum dare.

Tacent: & ora pallor albus inficit,

Mentesq; perculse stupent.

Sepe homines in campum non procederent, si meminisse vellent, incertos esse exitus belli, Martemque communem, nullumq; bellum esse iustum, nisi aut pro rebus reperitis geratur, aut certe ob alias iniurias decretum denuntiatum sit & indictum. Suscipienda quidem bella sunt ut sine iniuria in pace viuatur; attamen in exortendis urbibus diripiendi q; valde illud considerandum est, ne Cic. de officiis temerè, ne quid crudeliter fiat. In omnibus negotijs, priusquam aggrediare, adhibenda est preparatio diligens. Parva enim sunt foris arma, nisi sit consilium domi. Bellum autem ita suscipitur, ut nihil aliud nisi pax quaesita videatur. Item temerè in acie versari & manus cum hoste configere, immane quiddam & belluarum simile est: sed cum tempus necessitasq; postulat, decentandum manu est, & mors seruituti, turpitudiniq; anteponenda: nam occidi pulchrum est, si ignominiosè seruus. Hæc Ethnicus Cicero; cui Oratorum principi, princeps Poëtarum afflans canit:

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Virgil. lib. II.

Aeneid.

Et subscriptit Augustinus Viues, cuius ad Henricum octauum Anglia regem hæc sunt verba: Bellum non est facile suscipiendum, nec certa pax sperata à victoria permittanda. De nulla re magis, aut cibi, usus deliberandum est, quam de bello, in quo non licet bis peccare: & ad ad Henr. oct. quod princeps descendere vix debet, etiam ineuitabili necessitate pressus, omnibus primò remedij tentatis, & frustra consumptis. Nullum est tam felix bellum, quo non potior sit iniqua pax, sine curas, sine sumptus, sine discrimina consideres, & contempleris. Itaque de iure suo citius decedat princeps, quam de summa periclitetur, & tantam fortuna plangam leni lateris inflexione declinet. Varij sunt belli casus, & exiguo mente

III.

Augustinus Vi-

ues in epist.

ad ad Henr. oct.

Angl. reg.

646 Cap. LVI. Bella non temerè suscipienda, et si iusta esse possint,

mento varias res voluit. Vnde Mauortem veteres nominauerunt bellum, in cuius manu est, suscipere non deponere. Initia belli penes principes sunt, exitus penes fortunam, seu verius Deum, cuius voluntatem erga nos, non sine causa ignoramus: videlicet nesci, quām apud eum gratiosissimus. Itaque non secus, quām pecunia nostro arbitrio ales expedita, illico alieni sit iuris, incertum cui cessa sit: Ita princeps & terra dictio in fortē eventus conicitur, moto bello. Quām multos perituit belli vel prospere capti? Nec ulla Respublica instabilior est, quām que saepe monet arma. Quoties in extremum discrimen Athenae venirent? à Persis exusta, à Lacedemoniis oppresa, ac spoliata manibus: à Philippo fracta, ab altero Philippo afflita: à Mithridate occisa: à Sylla propemodum deleta. Bellatrix illa Roma a Tatio capta est, à Porsena obessa, à Gallis incensa, à Pyrrho territa, ab Annibale concussa, suis denique armis dilacerata. Dicet aliquis: Armis & bello crescunt regna. Sed & eisdem quoque pereunt. Minus forsitan est in pace splendoris & gloria, falsa illius quidem, sed plus quietus; minus controversia ac periculi, & proinde firmitatis plurimum. Non labore, inquit Theopompus Rex sapientissimus, quām amplum filiis regnum tradam, sed quām mansurum, ac stabile. Nihil ab alijs repetit, sed non abs te alij: in quo cum utroque est periculum, sive cuncta fortiore congregari, sive cum debiliore, quippe nihil est tam infirmum, cui sua ad nocendum vires desint: desit uaria facultate omni inuandi, ac beneficiandi, multum adhuc ad laudem superest, tanto videlicet promptius est, malefacere, seu robore sui, seu imbecillitate nostra. Sapienter S. Gregorius Nazianzenus scripsit: Quamquam Salomonis illud laudem, qui ut alijs omnibus rebus, ita bello etiam ac paci tempus suum, veluti lata lege, decernit: hoc unam tamen adiiciam, quod licet utrinque temporis habenda sit ratio, quandoquidem iuxta illius (Salomonis) legem atque auctoritatem praeclarè ineundum bellum suscipitur; quamdui tamen licet, propensiores ad pacem esse debemus. Hoc enies sublimius est, & diuinus.

I V.  
Graec. ep. 15. Itaque non temerè, neque præcipitanter ruendum est ad arma, sed diu apparandum est bellum, ut vincas celerius: quia longa belli preparatio celerem facit victoriam. Malè vicit, quem pœnitit victoria. Melius est enim ignorare, quām post victoriam pœnitere. Interim nihilominus in Rep. maxime censuenda sunt iura belli. Nam cūm du-

S. Gregorius  
Naz. orat. 3.  
de pace.

Sunt genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim; cumq[ue] illud proprium sit hominis, hoc belluarum: configiendum est ad posterius, si vi non licet superiori; in quo homines feroce & violentas pugnas belluarum imitantur. Quod quia male fieri potest, & bene; magna prudentia opus est, non solum in suscipiendo, sed etiam gerendo bello: cuius, Aristotele teste, finis est pax. Siquidem, vt S. Augustinus ait, non pax quaritur, ut bellum exciterit; sed bellum geritur, ut pax acquiratur. Esto ergo etiam Bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem perducas. Manichæorum hæres tuit, quam etiam Wiclephus amplexus est, vniuersum omne genus bellorum damnandum esse: vt de priore D. Augustinus, de posteriore Thomas Waldensis testatur. Julianus Apostata, vt Christianos deterreret à propulsione & vindicta iniuriarum, voluit illis persuadere, saltem Christianis illicitum esse bellare, vt de eo docet D. Gregorius Nazianzenus. Id, vt probaret, attulit illa Christi: Si quis te percussit in unam maxillam, proberet & alteram; & Omnis, qui accepit gladium, gladio peribit: & illud Pauli: Nulli malum pro malo reddentes, ac intrà: Non vos defendetis, charissimi, sed date locum ira: Scriptum est enim: Mibi vindicta, & ego retribuam. Et rursus: Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

Hæc contra bellum allata præcepta, bellum iustum non tollunt. Est enim vis illorum duplex. Prima, vt ad iniurias, patienter ferendas, quæcumq[ue] inferantur, animo simus præparati; adeò, vt non solum ad unam, sed etiam ad alteram alapam æquanimiter accipiendam simus parati; non vt re ipsa alteram maxillam porrigitamus. Ita satisfieri præcepto Christi, docet ipsius Christi exemplo D. Augustinus, qui percussus in facie, non fecit contra Iohann. 12. suum præceptum, tametsi non præbuit percutienti alteram partem, sed potius prohibuit, ne, qui fecerat, iniuriam augeret, dicens: Si male locutus sum, testimonium peribet de malo; si autem bene, cur me cadu? Hoc cùm diceret, impleuit cumularissimè suum ipse præceptum, quia paratus venerat non solum in faciem percuti, sed etiam pro his, à quibus ista patiebatur, crucifixus occidi, pro quibus ait in cruce pendens: Pater ignosc illis, quia nesciunt, quid faciunt. Altera præceptorum illorum vis est: oportere nos iniurias illatas ita æquanimiter

Aristot. lib. 7.  
Polit. cap. 1.  
& 14.

S. Augustin.  
ep. 107, ad  
Bonifacium.

Vide S Au-  
gustin. lib. 22.  
contr. Faust. c. 74. & Tho-  
mas Wal-

denem to 3.  
de sacramen-  
talib. tit. 24.

cap. 169. n. 70  
D Greg Naz.  
orat. 1 in Lu-  
lian

Matth. 5.  
Matth. 16.

Rom. 12.

V.

S. Augustin.  
ep. 5. ad Mar-  
cellinum.

• 48 Cap. L VI. Bella non temere suscipienda, et si iusta esse possint.

nimiter pati, ut illa priuata auctoritate non velimus vlcisci. At bella iusta non priuata, sed publica, & communi, & idcirco diuinus accepta auctoritate fulcipientur. Ideo scriptum est, *Mis hi vindicta* &c. Et *Quicumque acceperit gladium* &c. ille enim ibi dicitur accipere gladium, qui sua propria auctoritate illum accipit, & non diuinam sibi datum. Sicut enim iudex, & carnifex non aduersantur his præceptis, quando secundum iustitiae normam, & idcirco etiam diuina auctoritate, aduersus malefactores vntuntur; ita neque illi qui itidem publica, & hinc etiam diuina auctoritate improbos bello coercent. Bella enim ob commune, immo etiam illorum bonum, qui debellantur, suscipi consuerunt. *Agenda sunt multa cum iniurias benigna quadam asperitate plectendis.* Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur. *Quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, qua paenalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior robatur,* ait S. Pater.

VI.

*Isa. 9. 7.*  
*Ila. 2. 4.*

*Michæz. 4. 3.*

*Luc. 2. 14.*

*S Hieron. in e 4 Michæz.  
S. Ambros in  
Psal. 45.*

*Luc. 24. 36.*

*Matth. 24. 6.  
Luc. 21. 9.*

Prophetæ sanè vaticinati sunt, futurum ut in aduentu Christi bella cessarent. Hinc eum *Principem pacis* vocat Isaías. Apud quem & illa leguntur: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercer- buntur ultrà ad prælium. Et apud Michæzam: *Non sumet gens aduersus gentem gladium, & non discent ultra belligerare.* Et scadet vir sub tuus vineam suam, & subrus sicum suum, & non eris, qui deterreat. Haec sanè prædicta sunt, sed & impleta, tempore aduentus Christi, quo Angeli cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.* Et certè tunc pax erat, cum describe retur vniuersus orbis ab Augusto. Quod ideo factum S. Hieronymus & Ambrosius monet, ut in toto mundo periuies esset orbis terrarum pergrinationibus & prædicationi Apostolorum. Quamquam etiam pax spiritualis quæ in animo & conscientia cum Deo, tempore Christi futura erat, à Prophetæ prædicta fuit, quam & Christus se dedisse indicauit cum diceret *Pax vobis.* Hoc ergo vaticinati sunt Prophetæ, non autem, quod post aduentum Christi bella nulla umquam amplius futura sint; aut quod non licet futura sint. Illud enim plurima bella secuta, manifestè falsum demonstrant; immo ipse Christus futura prædictit: *Audi turi estis prælia, & opiniones præliorum.* Istud autem, scilicet lici-

te,

*Cap. LVI. Bella non temerè suscipienda, et si iusta esse possint.* 640

tè, etiam Christianos, bella gesturos, multæ cum exemplis, ostendunt rationes, quæ partim stant pro bello vniuersim, partim pro bello Christianorum.

Nam in primis factum est proelium magnum in cœlo: *Michaël &c.* VII.  
*Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angelii eius.* Vicit Michaël cum Angelis suis, & triumphauit. *Quis non laudavit Michaëlem cum exercitu suo iustissimè, contra diuini solij iniquissimos inuasores depugnantem?* Si bellum ex se aliquod malum esset, etiam in Angelis esset malum: neque Deus id imperare hominibus posset, quem mali aliquid iubere non posse. *S. Augustinus.*  
remo, qui ei seruit, ignorat: imperauit autem sapius. *Locutusq; est lib. 22. contr. Dominus ad Moysen dicens: Hostes vos sentiant Madianita, & percute eos, quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos.* Item: *Hac dicit Dominus exercituum: Recensui quacumq; fecit Amalec Israeli, quo modo restitit ei in via, cum ascenderet de Aegypto.* Nunc ergo vade, & percutite Amalec, & demolire vniuersa eius &c. Ut autem non iuberet Deus bella, si semper mala, ita neque laudaret, si numquam bona essent. Laudat autem & bella & bellatores. Ita enim Abraham reuertenti ex cæde Chodorlahomor & regum, qui cum eo erant, per Melchisedech benedixit: *Benedictus Abram Deo excelso, qui Gen. 14. 19. creauit calum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.* Ita ipse Christus illius Centurionis fidem laudauit, ait S. Augustinus, non militia desertionem imperauit dicent. Matth. 8. 9. *Ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit; & alijs, veni huc, & venit &c.* D. quoque Lucas ait: *Vir autem erat Cornelius Centurio cohortis, quæ dicitur Act. 10. 1. Italica, religiosus ac timens Deum.* Quietiam ibidem dicitur ad se vocasse militem metuentem Deum ex his, qui illi parebant &c. Ita D. quoque Paulus ait: *Fortes facti sunt in bello, castra verterunt ex- Hebr. 11. 34. terorum.* Immo in militia spirituali iubet imitari nos studium bonorum militum in bello seculari: *Labora ut bonus miles Christi Iesu.* 2. Tim. 2. 3. Quæ omnia in militum & militiæ laudem non dicerentur, si militia omnis mala esset.

Luculencus testis accedit Ioan: Baptista. *Interrogabant eum VIII. & milites dicentes: Quid faciemus & nos?* Et ait illis: *Neminem concubat, neq; calumniam faciat, & contenti estote stipendiis vestris.*

Nona

Ex

650 Cap. LVI. Bona non temere suscipienda, et si iusta esse possint.

S. Augustin. Ex quo loco Augustinus probans non omne bellum esse illicitum lib. 22. contr. ait: *Alioqui, cùm ad eum baptizandi milites venirent, dicent: Et Faust. cap. 74. nos quid faciemus?* responderet eis: *Arma abicite, militiam istam den- serite, neminem percutite: vulnerate, prosternite neminem.* Sed quis sciebat, eos, cùm hac militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultores iniuriarum suarum, sed salutis publica defan- sores, respondit eis, neminem concutiat, &c. Quo tempore non tan- tū pro Iudeis, sed etiam pro illis, qui Christiani erant futuri, respondit Ioannes; neque militiam dumtaxat tolerandam, sed etiam minimè malam indicauit. Cùm enim doceret, fugiendum à ventura ira, & fructus dignos pœnitentia esse faciendo, mili- tesque interrogassent, quo modo id præstare possent, non respon- dit, à militia tamquam mala & iram Dei prouocante, & cum ve- ra pœnitentia pugnante desistendum esse; sed monuit illud tan- tū, ut neminem immerntem vel vi, vel fraude vexarent, spo- liarentur, sed ut stipendijs contenti essent. Stipendia enim tunc dabantur, nec permittebantur milites, stipendij loco, obuios quoque amicos inuadere, exuere, diripere, ut prò dolor nunc sit apud Christianos. Ad Christianos autem etiam pertinere respon-

S. Aug. ep. 5. sum Ioannis, disertè idem S. Augustinus epist. ad Marcellinum ad Marcelli- num.

docet his verbis: *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis pœnitentibus in Evangelio diceretur, ut abiicerent arma sed militia omnino subtraherent.* Dicitum est hancem eis, Luc 3. *Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum.* Quibus proprium stipendium sufficere deve- re præcepit, militare utique non prohibuit. Quid autem illis facien- dum, quibus stipendium nullum solvit? non militandum. Sed jam nomen militia dederunt, unde vel militandum, vel penden- dum est illis. Quid tum facient? in extrema necessitate rapien- te fame moriantur. Sed viderint illi, qui eos adiungunt ad necessi- tatem rapiendi. S. Ioannes Baptista, qui bellum non improbauit, numquam approbavit rapinas; sed dum permisit milites stipen- dia facere, permisit militare.

I X. Quid quod Christus ipse Magister noster militiam approba- uit, cùm diceret: *Reddite quæ sunt Casari, Casari?* Nam dum ius- sit tributa & census dari, iussit ea dari, quibus milites contentos esse,

Cap. LVI. Bella non temere suscipienda, et si iusta esse possint. 651

esse jussit Ioannes Baptista. Audiant Manichai, inquit S. Augustinus & Si Angust. loc. cit.  
dus; ipsum Dominum IESVM CHRISTVM hoc stipendium iubentem reddi Cesari, quod Ioannes dicit debere sufficere militi: Reddite, inquit, Cesari, quia Casari sunt, & qua sunt Dei, Deo. Ad hoc enim tributa prstantur, ut propter bella necessaria militi stipendium prbeatetur. Quod ipsum clare indicat Paulus ita de saeculari Magistratu loquens: Dei minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Ide Rom. 13. 4.  
enim & tributa prestatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes. Et id ipsum confirmat Petrus cum milites seu ministros regum & ducum jubet, subiectos esse propter Deum, non modo regi quam si precellenti, sed etiam ducibus, tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Certè Deus numquam fauet peccatis, neque opem fert singularem male agentibus. Si ergo illicitum esset bella gerere, nequaquam peculiare auxilium tulisset proeliantibus, neque pro eis ipse bellauisset, aut in eorum gratiam miracula fecisset. Nonnè cum lenaret Moyses manus, vincebat Israël, Exod. 17. 11.  
& exercitum Amalec ad internectionem cædebat? Quam clara sunt illa: Nolite metuere, neq; timeatis eos, Dominus Deus, qui du- Deut. 1. 29.  
ctor est uester pro vobis ipse pugnabit. Ac rursus: Quo modo persequa. Deut. 32. 30:  
tur unus mille, & duo fugent decem millia. Nonnè ideo, quia Deus suis vendidit eos, & Dominus conclusit illos? Atque alibi: Hac dicit 2. Paralip. 12.  
Dominus vobis: nolite timere, neq; paneatis hanc multitudinem: Non 15.  
enim est uestra pugna, sed Dei. Et infra. Non eritis vos, qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos, o Iuda & Ierusalem. Daudì quoque ait: Qui docet ma- Psal. 17. 35.  
nu meus ad prælium, & posuisti ut arcum areum brachia mea. Hæc quo modo dici possent, si proeliari esset peccatum? idem enim dixisset, si dixisset, Qui docet manus meas ad prælium, ac si dixisset:  
Qui docet manus meas ad peccatum.

Neque iuuat Deus tantum proeliantes, sed non raro stupendis quoque miraculis illustrat. Quantum fuit illud, quando in. Exod. 14. 22.  
gredi sunt filii Israël per medium siccii maris: erat enim aqua quasi murus a dextera eorum & lana. Persequentesq; Egyptij ingredi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medianum maris. Iamq; aduenierat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castraEgyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exer-

X.

Nnnn 2 situm

652 Cap. LVI. Bellum non temerè suscipienda, et si iusta esse possint.

sicutum eorum: & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundi-

Bid. v. 33.

dum, &c. Ob quod prodigium futurum meritò dixit Moyses ad populum: Nolite timere: state, & videte magnalia Domini, quae fa-

cturies est hodie: Egyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra

videbitis usque in sempiternum. Dominus pugnabit pro nobis, & voi-

tacebitis. Quod etiam fecit, quando, nullo ariete mœnia percu-

tiente, neque ullis machinis adhibitis, ad solam populi vocifera-

Iesu, 6. 20.

tionem & clangorem tubarum in circuitu, muri Iericho illico fan-

Zosu, 10. 11.

ditus corruerunt; itemque quando Gabaonitarum hostes, & quin-

que regum Amorrhæorum exercitus in fugam coniecti sunt, &

Dominus misit super eos lapides magnos de calo usque ad Azeca: &

mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percu-

serant filii Israël. Tunc locutus est Iosue Domino in die, qua tradidit

Amorrahum in conspectu filiorum Israël, dixitque coram eis: Sol contra

Gabaon ne monearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque sol

& luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Quantum hoc mi-

raculum, quantum non iam terræ, sed cœli quoque auxilium, in,

gratiam bellatoris factum? Quād evidenti prodigio Assyri ob-

sidionem Samariæ soluerunt, quando Dominus sonum audiri fece-

rat in castris Syriae, currum, & equorum, & exercitus plurimi, ubi

tamen exercitus nullus erat? Quid aliud quād miraculum fuit,

4. Reg. 19. 35.

quando una nocte venit Angelus Domini, & percussit in castris Assy-

2 Machab. 10.

riorum centum octoginta quinq[ue] millia? item quando apparuerunt

19.

adversarij de calo viri quinq[ue] in equis, frenis aureis decori, ducatum,

Iudeis præstantes: ex quibus duo Machabaum medium habentes, ar-

mis suis circum septum incolumem conseruabant: in adversarios autem

eela & fulmina iaciebant, ex quo & cætate confusi, & repleti pertur-

batione cadebant. Quod idem postea contigit cum Legione, quæ

Baron An.

dicebatur Fulminatrix, & quando, sub Marco Aurelio Antonino,

Christi 176.

strata humi Christianorum Legio Deum precata hostibus inter-

mittit. post o-

nectionem, & Romanis militibus ultimò discrimine laborantibus

rat ad Anto-

aquam obtinuit, ut eiusdem Imp. ad Senatum Rom. epistola scri-

nin.

pta restatur. Quis nescit, Constantiū Imperatorem signo Cru-

cis in calo divinitus conspecto, vidisse etiam, atque audiuisse An-

Euseb. lib. 9.

gelos sibi astantes, dicentesque, Constantine in terra rixa, id est, in

c. 9. Theodo-

ret lib. 5. c. 24. hos vince. Ita enim narrat Eusebius alijque, Theodoretus refert,

Theodo-

Theodosio contra Eugenium Tyrannum pugnaturo, & posse orationē obdormiscenti apparuisse Ioannem & Philippum Apostolos, victoriamque pollicitos, postea mirabiliter eam ipsi peperisse. Innumerā sunt exempla, quibus ostenditur, Deum militantibus non solum auxilia manifesta attulisse, sed etiam perspicuis miraculis adfuisse. Quae, qui vult legere, Valentīnum Leuchtium, Serium, eum authorem, qui presentium calamitatū originem, causas, & medicinas, itemq; Artes feliciter bellandi ac debellandi scripsit, aliosque adeat. Ex his satis constat, et si homines bella non debent temere inchoare, non tamen posse vniuersim damnare, aut illicta esse dicere, cùm non omnia bella ex Orco, sed multa etiam è cælo oriuntur: immò cùm nullum, vnde cumque originem trahat, sine diuina permissione, prouidentiaque aut confletur, aut indicatur.

## C A P V T . L V I I .

Oc̄to cauſſe, ob quas bella sapientissimè à iustissimo Maſſo.  
di Gubernatore Deo esse permittuntur.

**A**nta fuit Pythagoræ apud suos discipulos authoritas, vt illis ea sola sufficeret pro ratione. Quidquid audiebant, credebant; dummodo audirent illud à vrde ipso, ipse dixit. Cur non eadem sit apud nos Numinis authoritas? Bene fieri credendum est, quidquid constat fieri à Deo. *A Domino Psal. 117. 13.* factum est istud, & est mirabile in oculis nostris, ait rex ille. Quamcumque igitur mirabilis res sit aliqua, iustissima censeri debet, si à Domino facta est. qui, vt alij cum admiratione dicebant, *Bene omnia fecit.* Quare nemo etiam conqueri debet de bellis, cùm constet ex dictis, ea à Deo esse. Sed quia rerum seriem & cauſas scire appetit humana curiositas, neque facile acquiescit intellectus, etiam si sciat, quo primo auctore res fiant, nisi etiam cognoscat, quas ob cauſas sic fiant, age dispiciamus, quas nam ob cauſas, & per quos belli mala vel permittat, vel immittat diuina bonitas. Fines enim multos bonos habet: neque malam potest habere intentionem, vt homines, qui nisi, præter legitimam authoritatem & iustum cauſam, etiam habeant rectam intentionem, vt scilicet bellum suscipiant studio communis boni & pacis, sed alios ob fini-

N n n 3

&amp; ros